



**Lvdovici Molinæ, E Societate Iesv Theologiæ Doctoris, &
Professoris, Commentaria, In primam D. Thomæ partem**

Molina, Luis de

Lugduni, 1622

Vtrum voluntas Dei semper impleatur. disp. 2.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73915](#)

præceptum domini: quandoquid tam multa illius A præcepti est exequitur, neque per ipsum sacerit, quominus omnimodam impletionem compleret. Vnde scriptura ipsa ex Dei persona subiungit, *Quia fecisti rem hanc, & non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicat tibi.* Et infra, *Quia obediens vocis meæ.* Atque hæc Abrahæ obedientia præcepto illi, quod executionem est, quæ tantopere in facis literis commendatur: & de qua Iacobus 2. c. de operibus atque legis impletione agens, sic ait: *Abrahæ pater noster nonne ex operibus iustificans est, offerens Isaac filium suum super altare?* Sanè is, cui præceptum est imploratum, dum id efficere statuit, quod sibi præcipitur, & per partes exequutione id mandat, præceptum dicitur implere: per accidensque est, quod vel morte præuentus, auctaliter impeditus, totum implere non poterit, vel quod à legis datore aliquid sit ei remissum, aut etiam prohibitum, quod illi implendum supererat, implereque aggrediebatur. Adde, quando dicimus in Deo esse formaliter voluntatem, quia vult, ut impleamus præcepta & consilia quæ nobis tradidit, si nos quoque id velimus, habere id hanc tacitam conditionem, si penes nos sit id implere: alioquin si impossibile, vel de facto, vel de iure nobis sit, constat in Deo non esse talen voluntatem: ut verò Abraham, tempore, quo puerum erat percussurus, effectum erat impossibile iurius impossibilitate, id præcepti antea sibi impositi implere, quod implendum restabat, propter nouum illud aliud præceptum, *ne extendas manum in puerum.* Possumus etiam dilucidius sic dicere. Doctrinæ nostræ manifestè esse in hunc modum intelligentiam, in Deo est voluntas, quia vult, ut, si nos quoque velimus, impleamus præcepta, quæ nobis tradidit, pro tempore, pro quo obligant. A nostra autem doctrina hoc pacto intellecta nihil omnino est excipendum: quoniam licet præceptū illud affirmatius Abraham impositum, ipsum obligauerat ea omnia efficer, quæ vultque ad gladij erectionē efficit, idque animo interficiendi Isaac, atramen pro nullo instanti obligauit eum, filiū suum interficere: quoniam in tempore, in quo filium iuxta Dei præceptū erat percussurus, præueniens erat à Deo, contrariumque illi erat præcipiendum. Non ad id regrediamur, unde sumus digressi, quariamque rationem conficiamus.

Quarò eadem sententia probatur multis aliis testimoniis. Scriptura sacra, quæ aperte sonant in Deo esse ciuitati voluntatem. Genesios enim 5. Tactus dolore cordis intrinsecus, delebo, inquit, hominem, quem creavi, a facie terra. Isaia 1. Heu vindicabor de iniurias meis: si autem in Deo non esset velleitas, quæ homines non punire cuperet, si ipsorum peccata, aliud non postularent, quid qualis dolor ille cordis interior sciscus, quæ tactus dicitur, gemitusque ille insutum vindicta exprimerent? neque enim aliud significant, quæ in velleitatem, quia vult nō punire, si peccata id non postularent. Item Sapientia i. habetur: *Deus mortem non fecit, nec letatur in perditione virorum.* Creavit enim, ut essent omnia, & sanables fierint nationes orbis terrarum. In iustitia mortis est acquisitionis Impij autem manus, & verbis acerferunt illam. Ezechiel. 18. Numquid voluntatis meæ est mors impij, & non ut converteretur a via suis, & vivat. Et infra. Quia moxiemini dominus Israël: quia nolo mortem morieris, resurrexi, & vivi. Item Matth. 23. *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullus suis sub alas, & non laisti.* Denique si in Deo non esset voluntas conditionalis, de qua loquimur, sane invitationes ad pénitentiam, atque ad vitam æternam, quæ ex persona Dei in Scripturis sanctis sunt,

potius fictiones dicendæ essent, comparatione eorum, qui non conuerteruntur. Venerabilis eternum esset præcepta subditis dare, nec veller, ut ea impletent, velle nihilominus transgressores punire: quare id Deo nulla ratione est tribuendum: quin potius dicendum est, reuera velle fieri, quæ præcipit, seruata tamen libertate arbitrij creati, ac proinde sub conditione, si homines & Angeli id ipsius velint.

Dominicus à Soto loco citato, tametsi tamdem annuat, maximè tamen dubius est, quæ voluntas hec, quam in Deo esse ostendimus, appellanda sit velletas, voluntasque conditionalis, quia, inquit, velletas, voluntasque conditionalis est imperfecta, quia non est nisi ubi deest facultas implendi quod voluntum est, ut in coernere licet, qui vellet non præcire merces in mare, tempestate tamen coactus, quia desperat se aliter posse servare vitam, eas præcicit: Deo autem nulla imperfetto, nulliusque deficitus facultatis est tribuendum.

B At proculdubio appellanda est cum D. Thoma, hoc loco velletas voluntasque conditionalis, ut ex hac tenus dictis est manifestum. Præterea cum in Deo sit formaliter, & non sit volitio efficax ac absoluta, non videntur quæ alia esse possit, quam velletas, voluntasque conditionalis.

C Ad rationem Socii dicendum est, velletatem voluntatemque sub conditione, interdum esse propter defectum facultatis faciendi, aut obtinendi id, quod ita est voluntum, ut cernitur in eo, qui veler non præcire merces suas in mare: interdum vero est, non propter defectum potestatis, ut sit id, quod ea vellet, sed ut ea ratione finat res agere accommodatæ ad suas naturas, creatureque arbitrio prædictæ propriis meritis, diuina gratia adiuta, honorificentius ad præmij palmarum perducantur. Priori ergo modo coniuncta est cum imperfectione, defectuque facultatis, neque ita cernitur in Deo. Posteriori vero minimè. Etenim liberè vult Deus aliqua dependenter ab arbitrio creato, nempe beatitudinem damnatorum, quorum opposita, nempe damnationem, vult absolute propter malum vnum eiusdem arbitrij. At illa eadem, verbi gratia beatitudinem, quorum opposita absolute vult, potius velle absolute, vel impediendo malum vnum arbitrij creari, vel etiam absolute ea volendo, secluso quocumque vnu arbitrij creati.

D Gregorius loco citato nititur probare, locum Pauli non esse intelligendum de voluntate antecedente, quæ sit velletas salutis, si per peccatores non staret, idque in hunc modum. Quoniam si id esset verum, Paulus non dixisset, Deus vult omnes homines saluos fieri: velletus namque non exprimi solet per verbum indicatiæ sed optatiæ modi.

E Dicendum nihilominus est, in primis velletatem interdum etiam verbo indicatiæ significari, ut constat ex illo Christi ad Patrem, *Verum tamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Dicendum est deinde, quam velleitatem, quæ est propter defectum facultatis faciendi, aut consequentiæ aliquid, velle exprimi per verbum optatiæ modum: non vero, quæ ideo est in Deo, ut finat res agere liberè accommodatæ ad suas naturas: hæc etenim est voluntas conditionalis, dummodo per alium non staret, quæ ratione optimè dicere possumus, *Deum velle salutem omnium, dummodo per ipsos non stet.*

DISPUTATIO II.

F *Virum voluntas Dei semper impletatur.*
S It prima conclusio. Quidquid Deus vult voluntas. Prima cœl. State absoluta semper impletur. Hæc est de fide. affirmativa. Ve

Voluntas co-ditionata
qua non im-
pletur, vel-
letas ejus nū-
cupanda.

Diluitur
Socii argum.

Gregorij op-
tio & arg.

Solutio.

Matth. 26.

*Vt verò melius intelligatur dilucidiusq; probetur, sciendum est, Deum duobus modis velle aliquid voluntate absoluta. Vno, sine illa dependentia ab arbitrio creato, quia liberum arbitrium est. Eiusmodi voluntas absoluta Dei est, qua proprieissimè appellatur voluntas Dei efficax, cui nulla creatura resistere valeat, idque sive Deus, quod ita vult, exequatur per seipsum solum, vt fuit creatio orbis, sive interuenient causa secunda, etiam sive voluntas humana aut Angelica ea sit, cui necessitatè potest inferre. Comparatione tamen eius, quod ita exequetur voluntas creata, non haberet rationem liberi arbitrij: cùd in facultate ipsius non esset facere oppositum. Conclusio quod hanc partem probatur, in primis testimonii Scripturæ sacrae, Psal. 113. *Deus noster in celo omnia, quæcumque volui feci. Esther. 13. Non est qui possit tua resistere voluntati.* I. 46. *Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet.* Rom. c. 9. *Volumini eius quis resistet?* Deinde probatur ratione, quoniam causa volens ita aliquid absoluta voluntate absque dependentia aliqua, seu conditione ab arbitrio creato, quam liberum arbitrium est, si non producit effectu, vel est, quia non potest, quod ita vult, aut quia impeditur, vel quia mutat voluntatem: primum & secundum nulla ratione esse possunt, quippe cùm Deus omnipotens sit, omnisque causa secunda, tum vt sit, tum vt agat, pendeat a libero ipius influxu, ac concursu: neque itē tertium, cùd quod in Deum vicissitudinis obumbratio cadere non possit, nihilquæ à Deo non præsum, ac præcognitum accidere possit, ratione cuius consiliū, ac voluntas ipsius mutetur: ergo quicquid Deus eiusmodi absoluta voluntate vult, semper impletur.*

Qua Dei voluntas absoluta non excludat conditionem, si et nos velimus. Altero modo dicitur Deus velle aliquid, dependenter quidem ab arbitrio creato, quia liberum est, atque adeò sub conditione, si creatum arbitrium id etiam velit, et ea ratione absoluta, quod cùm prouideat per arbitrium ipsum liberè futurum, ex hypothesi, quod eum ordinè rerum velit creare, quem re ipsa creare constituit, ei placet, absolutaque iam voluntate vult, vt sit, quod ita liberè futurum est, potestq; non esse. Hac ratione Deus Optimus Max. vult omnia bona, quae per arbitrium nostrum sunt futura, non solum voluntate conditionali, si nos quoque ea velimus, sed etiam voluntate absoluta, quatenus ipsi prævidentia futura placent, eadēque divina eius ac singularis bonitas per arbitrium nostrum intendit ac vult. Quod autem hæc etiam absoluta Dei voluntas semper impletur, ex eo est manifestum, quia nisi ut certitudine præscientia diuina, quod ita res futura sit per nostrum arbitrium, consequitur que in Deo camdem præscientiam: quia cùm in Deum nec mutatio, nec vicissitudinis obumbratio cadere possit, quam certum est Deum per eam præscientiam non posse falli, tam certum est eiusmodi absolutum Dei voluntatum semper impleri. Quædam ex testimonio Scriptura citatis ex parte confirmant conclusionem propositam intellectam etiam de eiusmodi absoluta Dei voluntate, quoniam Deus prævidens omnia, quæ per arbitrium creatum sunt futura, ita sua prouidentia nouit omnia accommodare finibus à se præfinitis, vt salua libertate, tam eorum qui bene, quam eorum qui male suo arbitrio erant vñti, etiam malo eorum vñt ad fines præfixos attingendos, sèpè vñt, comprehendere quæ sepe ita solat sapientes in propria altitudo, vt via illi consilium Dei inquietare nituntur, eadem ipse id perficiat, vt in fratribus Joseph cernere licet, qui qua via consilium Dei compiis reuelatum fugere moliti sunt fratre ven-

A dito, eadem Deus somnia vera reddidit. Hac ratione malo vñ arbitrij tyrannorum vñs est Deus ad coronam & palmarum martyrum, Pontificum vero, Pharisæorum, Herodis, ac Pilati, ad redemptiōnem generis humani, iuxta illud Actorum 4. *Conuenerunt veri in cœnitate ista aduersus puerum sanctum Iesum, quem unxiisti, Herodes, & Pontius Pilatus, cum genibus, & populis Israël, facere quæ manus tua, & consilium tuum decreuerunt fieri:* vnde à fine vsque ad finem, quem intendit, attingens fortiter Deus, disponit omni suavitatem, vnumquodque ad suam natum accommodate agere finens.

B Hinc intelligetur sensus illorum verborum Genesios 50, quæ Joseph trepidantibus fratribus, ne post mortem patris vindictam sumere vellet de facinore, quod in ipsum admiserant, vt timorem ab eis pelleret protulit, dicens: *Nolite timere: num Dei possumus resistere voluntati? Vos cogitatis de me malum, sed Deus veritatis illud in bonum, vt exaltaret me, sicut in presentiarum certis, & saluos faceret multos populos.* Sensus quippe est, Deum quidem voluntate absolute voluisse exaltare Josephum, que proinde voluntas necessariò erat implenda, si non illo modo, certè quovis alio, qui Deus non defuerit, vel mitendo Josephum in Ægyptum, vel quavis alia ratione. Deum tamen prævidentem aptum ad id medium esse proditionem fratrum, quæ, data hypothesi, quòd ipse eam nollet impeditre, nequitia & libertate eorum erat futura, permisisse illam, vt inde tantum bonum eliceret, eaque via sapientia ipsius splendorerit, que de malis solet bona eruere, sapientésque in astutia sua comprehendere, dum qua via fines ab ipso intentos fugere nituntur, eodem modo quodam admirabili in eodem incurunt.

C Quòd fit, vt verba illa, *Num Dei possumus resistere voluntati?* nequam significant, Deum necessitatem fratribus ad peccandum incutire, vt euentus ille a via sequeretur: sed euentus à Deo volutum fuisse, ac intentum voluntate absoluta, quæ omnino erat implenda, & Deum vñsum fuisse peccato, pro illorum nequitia & arbitrio commisso, solūmq; à Deo permisso, vt felix ille euentus sequeretur. Atque id sanè aperte significant verba illa subiuncta: *Vos cogitatis de me malum, sed Deus veritatis illud in bonum.* Vt verò Joseph plus fratres sedaret, exaltationem suam à Deo absoluta voluntate ac efficaci volitam, atque adeò necessariò futuram prudenter, illis ante mentis oculos posuit, nequiamque ipsorum fuisse medium à Deo permisum, vnde tantum sibi bonum obuenit, eaque ratione timendum ipsi non esse, vt de delicto, quod tantum sibi attulit commodum, Deo res eo pacto disponente ac permittente, ullam vellet sumere vindictam.

E Illud vero est obseruandum, contextum Hebreu eo in loco in hunc modum de verbo ad verbum habere. *וְאֵל יְהוָה כִּי רֹחֶחֶת אַל אֲרֹהֶם וּסְמִינָה אֶל דָּבָרִים זֶה.* Vaiomer Halehem Joseph: al thirev chi hathachath: Elohim ani. Et dixit ad eos Joseph. Ne timeatis, quoniam nunquid pro Deo ego: Et vos cogitatis aduersum me malum, &c. Qæque verba præter sensum quem editio vulgata reddidit, quali idiorismo Hebreo significare intenderet Josephus se non esse Deum, vt suo consilio, & non potius divino, cui nullus valet resistere, felix ille euentus ex fratribus maleficio fuerit consecutus, quemdam alium habent, quem Septuaginta interpres expresserunt, dum ea verba in huc modum vernerunt. Ne timeatis, nam Dei sum ego. Vos cogitatis contra me, &c. Multoque aperteius eundem expresit Chaldaicus Propheta in verbis. Ne timeatis, quoniam ego timeo a facie

à facie Dei. Porro ut hunc sensum melius intelligas, scito, verba illa præcedentia: *Quo mortuo timentes fratres eius, & mortuo colloquentes, ne forè memor sit iniuria quam passus est, & reddat nobis omne malum, quod fecimus*, in Hebreo de verbo ad verbum ita habere: *Et viderunt fratres Ioseph, quod mortuus est pater eorum, & dixerunt: Fortasse habebit odio nos Ioseph, & reddendo reddet nobis omne malum, quod retribuimus ei.* Iuxta hæc ergo, sensus illorū verborum est. Cùm integeretur Ioseph, fratres suspicari se odio illos prosequi, eaque de causa velle de eis sumere vindictam, dixit: *Dei seruus sum, Deum timeo, proinde nolite cogitare me odio vos profugiri, eaque de causa velle de vobis vindictam sumere, quod longè alienum est à Dei seruus & viris timoratis.* Vos cogitatis de me malum, &c. Alij verba illa, quoniam numquid pro Deo ego referunt, quasi diœtæ fucint à Iosepho, ut increpare fratres, quod proin tunc in terram eum adorarent, ut proximè præmittrit. At verò verba illa manifestè reddunt rationem, cur non esset illis timendum, quod vindictam de eis sumere velleret. Neque adoratio illa erat cultus latræ, sed reverentia debita Iosepho tamquam terra Agypii moderatori, & tamquam fratri, à quo veniam delicti in eum commissi petebant. Neque tunc primò eiusmodi reverentia fuit ipsi ab eis exhibita, sed sèpius iam antea, Iosepho id permittente, quin & longè antea propheticò spiritu fuerat à Iosepho prædicta.

Secunda conclusio. Non semper implorat, quod Deus voluntate conditionali vult. Conclusio hæc ex diœtis disputatione præcedente est manifesta. Vult enim eiusmodi volitione, omnes homines falsos fieri, nec tamen omnes salutem aſsequuntur. Vult item sua præcepta & consilia obſeruari, que tamen paſſim contemnuntur. Peccator autem, qui ab hoc ordine diuinæ voluntatis recedit, relabitur in alium ordinem diuinæ voluntatis, quo voluntate absoluta punice vult, quos præuidet diſceſſiuros ex hac vita in peccato, ut D. Thom. hoc loco, cum Augustino de Spiritu & litera, cap. 33. affirmat.

Dubium tamen est, utrum Deus absoluta voluntate velit omnia vniuersim, quæ in rerum natura sunt. Pars, quæ affirmat, suaderi potest, quoniam Deus omnium, quæ sunt, est causa quoad eorum entitatis: cùm ergo sit eorum causa per suam voluntatem, conseq̄ens est, ut voluntate absoluta velit ea omnia esse.

Terza dubio Tertia dubio respondens. Sit nihilominus tercia conclusio. Deus non habet voluntarem absolutam, ut sint actus peccatorum, quia ab arbitrio creato sunt: habet tamen voluntatem absolutam eos permittendi, vulnere absolute voluntate concurrens generali influxu cum libero arbitrio creato ad illorum productionem. Prima pars est de fide, copioſè demonstrata est in Concordia quest. 14. articulo 13. à disputatione 30. Referunt item illa alia verba quibus paulò inferioris intuli: *Quo sit, ut Deus non omnes entitates reales, que producuntur in rerum natura, velit esse voluntate absoluta, tamen si ad omnes voluntate absoluta velit concurrens, saltem per concursum generalem, atque ut vniuersalis rerum causa.*

A omnes voluntate absoluta velit concurrens, saltem per concursum generalem, atque ut vniuersalis omnium rerum causa, ut in Concordia loco citato disput. 30. & sequentibus ostensum est.

DISPUTATIO III.

Explanatur Deum causam non esse peccati, etiam materialiter sumpti.

Appendix.

B **Q**uidam in primis referunt nostra illa verba tertia conclusionis disputationis præcedentis. Deus non habet voluntatem absolutam, et sint actus peccatorum, qui ab arbitrio creato sunt: habet tamen voluntatem absolutam eos permittendi: vñique absoluta voluntate concurrens generali influxu cum libero arbitrio creato ad illorum productionem. Prima pars est de fide, copioſè demonstrata est in Concordia quest. 14. articulo 13. à disputatione 30. Referunt item illa alia verba quibus paulò inferioris intuli: *Quo sit, ut Deus non omnes entitates reales, que producuntur in rerum natura, velit esse voluntate absoluta, tamen si ad omnes voluntate absoluta velit concurrens, saltem per concursum generalem, atque ut vniuersalis rerum causa.*

C Deinde dicunt, si in prima parte conclusionis sermo esset de actibus peccatorum, secundum quod actus peccatorum sunt, bene quidem: conclusio namque esset verissima. Cæterum cùm ex iis, quæ postea infero, confiterem loqui de actibus peccatorum, quatenus entitates quædam naturales sunt, præscindendo à malitia, & deformitate peccati, mirantur me asserere, primam nostræ conclusionis partem esse de fide, mèque id ostendisse à disputatione 30. citata: cùm tamen solùm ibi offendimus, Deum non esse causam peccati. Addunt verò, tantum absēse, conclusionem ita intellectam esse de fide, ut cum

D veritate communiq; Scholasticorum sententia pugnet. Subiungunt præterea, se arbitrari Deum velle entitatem naturalem, qua est in peccato, si præcisâ spectetur à malitia, absoluta voluntate, non quidem antecedente, sed consequente, aut etiam concomitante, entitatēmque illam sic sumptam esse à Deo, ac proinde non odire cam, ut sit: neque enim odit quicquam eorum quæ fecit. Hæc omnia confirmant ex Augustino in illud Ioan. 1. *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil; ubi solum nihil, id est, peccatum quæ tale, negat Augustinus, factum esse à Deo.*

E Id etiam alienum à communi loquendi ratione arbitrantur, quod in Concordia, quest. 14. artic. 13. disputatione 32. sub finem §. Decimum, dixi: *Nempe, quoniam Deus præstare velit suum concursum generalem indifferentem, ut sint opera nostra mala moraliter, vel contraria, Deum tamen non debere dici causam simpliciter eorum entitatum in particulari, sed cum hoc addito, causam vniuersalem eas actiones sua causulatæ minus intendenter. Dicunt namque eos Theologos, qui concursum Dei generalem cum causis secundis defendunt, simpliciter & sine addito affirmare, Deum causam esse cari actionum, que fundant rationem peccati, quantum ad ipsarum entitatem.*

F Addunt præterea, nonnullam repugnantiam implicare quod dicam, Deum voluntate absoluta velle concurrens ad actionem peccati, qui concursus nihil aliud est, quæ produc̄tio, qua dat esse actionis, & tamen Deum non velle esse ipsius actionis. Præsertim si Deus ad actiones ad extra concurredit, non per potentiam executivam à voluntate distinguitur, sed immediatè per ipsam voluntatem, ut multi docēr,

Obiectio
prima.

Obiectio
secunda.